Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 289
Quelle:
Copyright:



*ter Patrie profectus est. Secum salus sublata est.* Secundo: *Venit uictor ualidus. Uicit uires urbis uestre.* Tertio: *Ferro. Fame. Frigore. Flamma. Regale romanum ruit regnum.* Subscripti sunt et hi versus:

*Res romana ruit ferro flammaque fameque.*
*Roma ruit. que quanta fuit docet ipsa ruina.* Et:
*Si lapis est unus. dic qua fuit arte leuatus.*
*Si lapides multi. dic vbi contigui.*

Haec an *Friderici* II. aut *Ludovici* Bavari tempora, an fugam *Innocentii* IV. an turbas a *Bonifacio* VIII. aut a *Nicolao Rientio* excitatas respiciant, difficulter quis statuerit. Simile quid de literis *Romae* super templi portam in quatuor circulis descriptis, quas *Beda* transiens interpretatus dicitur, inter alia fabulosa habes in *Catonis moralissimi P. I. metricali* ad v. *Quae nocitura tenes* &c. Edit. *Augustanae* 1475. f. Litera T literae majori O miniatae inclusa in ora inferiore p. 1. fortassis denotat, Codicem olim ad Coenobium *Ottoburanum* pertinuisse.

CVII. VI. D. 16.

226 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 322. f. a *M. Nicolao de Dinkelspuchel*, qui obiit a. 1433. legatus *ad librariam Collegij ducal.* continet sequentia: I. *Zachariae Chrysopolitani* Ord. Praemonstrat. Sec. XII. Scriptoris *Expositionem in Harmoniam Evangelicam*, de qua ad *Cod.* praeced. jam dictum est. Itaque οἰκονομιαν tantum Exemplaris hujus breviter indicabo. Initium faciunt Capita omnium IV. Evangeliorum in minora segmenta divisa, quibus subscriptum est: *Explicit materia capitulorum huius libri Vnius ex quatuor* (Μονοτεσσαρων) *Deo gratias.* Abest hic Elenchus ab edit. *Colon.* 1535. f. Sequitur Praefatio *prima*, quae incipit: *De excellentia euangelij et differentia ipsius ad legem* &c. Secunda, quae incipit: *Matheus cognomento leui, cuius uocacio* &c. Elenchus Capp. omnium IV. Librorum. Praefatio tertia brevior: *Notum facimus lectori* &c. Tandem Opus ipsum a *Lucae Prologo* inchoat, et in haec verba definit: *post paucum tempus ascensionis.* Subjicitur: *Explicit vnum ex quatuor seu concordia euangelistarum et desuper expositio continua exactissima diligentia edita a Zacharia crilopositа.* Adhaerent *interpretationes nominum in euangelio*, aliquantum ab iis diversae, quae supra dictam Editionem Colon. antecedunt.

II. *fol.* 273. Scriptum Anonymum in causa *Johannis Parvi* Doct. *Parisini* ventilata in Conc. *Constantiensis* Congregatione 5. *Maji* 1416. quo contenditur, famosas illius IX. *Propositiones de*